

Emendationes locorum aliquot Marciani Capellae.

(Continuatae ex t. XVII p. 638 sqq.)

p. 92 § 45: ... 'Opertanei Nocturnusque' inter deos primae regionis recensentur. Sed eundem nocturnum alio etiam loco inpositum iure Koppius miratus erat (§ 60). equidem persuasi mihi cod. Berolinensis lectionem: nocturnique etiam in aliis libris exstare a Koppio non diligenter excussis. Et tum quo modo res se habeat clare perspicitur: nocturni ad explicandum opertanei adscribebatur et deinde, ut antea aliquotiens factum esse vidimus, temere in textum inlatum est. Ceterum Nocturno illi omnino pessime consultum est: nam quem laudant Statius Theb. VI 240:

Roscida iam novies caelo dimiserat astra
Lucifer et totidem Lunae praevenerat ignes
mutato nocturnus equo,

is plane adtonitus fuisse si primum de Lucifero deinde de Nocturno dixisset cum optime scire deberet Lunam ab ipso Lucifero praeveniri eundemque mane astra de caelo depellere: itaque nocturnus adiective de Vesperugine dixit, noctu eum lunam praevertere significans. neque Plautum Nocturni miserebat cuius Sosiam (Amph. I, 1, 116) nescio quis

'credo ego hac noctu Nocturninum obdormivisse ebrium'
dixisse quam Nocturnum hiatum admittere maluisse admodum veri similiter contendebat. neque omnino Sosias de Lucifero dixit sed sive novum deum lepide finxit sive veterem invocavit noctis deum adpellavit. ctenim ne apud Henzenium quidem

(Orelli, inscr.) n. 5857 et 5858 (a Prellero, myth. Rom. p. 290 laudatum) *Nocturnum Luciferum significare credo sed deum noctis eundem quem Marcianus § 60 ex ultima caeli regione advehit. quanquam in altero certe titulo dubitari potest de forma nominis siquidem ex Sponii miscell. antiqu. p. 115 et ex alia inscriptione (laudatis a Forcellinio s. v. noctulius) apud Brixianos, ad quos prior Henzenii titulus pertinet, *Noctulum* aliquem deum cultum fuisse constat.*

Lib. II p. 154: 'Quam cum virgo consiperet ad eam adcurrentis honorandumque pectus exosculans praeparatorum poematum consicac fecit.'

Aut haec aut boematium omnium codicum scriptura est omni plane sensu destituta ut Koppius recte intellexit sed melius minime est quod ipsi in mentem venit scribendum esse boethematum Teutonico interpreti fidem habens parum considerate, quippe quem et hoc loco et alibi saepiuscule pateat sententiae scriptoris nec volam nec vestigium percepisse. immo non dubito quin poematum vera codicum scriptura sit nata illa quidem ex glossemate ad explicandum praeparatorum adscripto in margine. sciolus autem ille cui praeclarum hanc explicationem debemus neque sciebat Italia neutra participiorum haud raro a Marciano in usum vocari (cf. futurorum p. 87 et p. 695, 2) et necessarium duxit hic magnificarum illarum praecencionum mentionem inici quibus postea Musae lectorum animos recreant.

p. 165 (§ 120) sq.:

'Tandem laboris fructus aethram fulgidam
divumque sedes a c Iovis consortia
provecta carpis inditoque numine
cruenta dudum quae iugare rhythmica
ac dispari mixta sueta regula . . '

Structura quae sit patet: 'ne — proiecta — quae sueta es etc.'; sed verba ni fallor corrupta sunt. primum enim quicquid interpres ille intellegere sibi videbatur nemo nude dici potest proiectus; adici debet ad quid proiectus sit; itaque scribendum erit 'ad Iovis consortia'. deinde quod Koppius cruentus a pugna derivandum esse censem ut sit dissonus Vulcanius a *zgouver* hae nugae sunt. patet vocabulum mendosum esse neque veri dissimile mihi videtur primitus scriptum fuisse distenta. deinde quid versiculos qui sequitur sibi velit nemo dicet: nullam enim disparem artis metricae regulam eandemque hercle mixtam aut cognovi aut cognovero. alia sunt quae suspicionem augent sed nemo existet huius corruptelae patronus. rescribamus: *dispari* errore facili obscuratum. — sententiam concedo obscuram esse sed talia multa occurrunt apud hominem

fumi quam lucis cupidorem. videtur sic explicandum esse: rhythmi principium et coniunctio et divisio est, ita Philologia distenta iungere, divisa regularia rhythmica coniungere dicitur. censeo igitur illud quod dixi rhythmi principium esse non satis apte a Marciano tam exornato verborum strepitu prolatum esse ut difficile intellectu sit. tamen verum est; et de iungendo quis dubitet? sed disparari quoque rhythmico iuncta hoc est verba ita tantum intellegi potest ut rhythmici pedes in verborum pedes incidentes vocabula dissident veluti Horatius 1, 15, 15 'inbelli cithara carmina divides' ita posuit ut idem sit atque 'carmina dividendo efficies' quem locum Seneca a Bentleio emendatus imitatus est. unum quem cum hoc dicendi genere conferam habeo nostrum, Goethium qui in terreno Faustii prologo ita locutus est:

'Wer theilt die fliessend immer gleiche Reihe
belebend ab, dass sie sich rhythmisch regt?'

itaque versiculos nostros ut omnia complectar sic restituo:

'tandem laboris fructus aethram fulgidam
divunque sedes ad Iovis consortia
provecta carpis inditoque numine
distenta dudum quae iungare rhythmica
ac disparari mixta sueta regula . . '

p. 232 § 183: 'Ibi quandam navim totius naturae cursum diversa cupiditate moderantem, cunctarum flammarum congestione plenissimam, beatis circumactam mercibus conspicatur.'

Sic edidit Koppius Grotii anteriorumque cursibus tacite mutans; cuius rei nulla causa excogitari potest cum et moderari aptissime cum dativo coniungatur et plurativus numerus sum sententia optime quadret. sed quod sequitur cupiditate mihi nulla plane ratione stare posse videtur siquidem nisi qui vesanus est navim aliquam symbolicam in regendis mundi cursibus cupide se gerere nunquam contendet. quoniam autem de cursibus dicitur iam hoc ipsum vocabulum qualis notio requiratur aperte indicat, celeritatis nimirum. itaque scribendum censeo rapiditate.

p. 284: 'Si vero' (in vocabulis duarum syllabarum) 'prior syllaba natura longa est et sequens brevis, flectetur prior . . si posterior longa erit . . prior acuetur. . . nulla enim longa invenietur gravis in disyllaba prior.'

Postremae sententiae aperte corruptae Koppius profecto melius fecisset si aut explicationem aut emendationem addidisset quam fecit proxima pagina irriso Hugone Grotio cuius non dignus fuit 'corrigiam calceamentorum solvere'. nam ut nunc haec sententia legitur aliter explicari nequit quam hunc in modum: 'nulla longa syllaba invenietur quae in disyllabo priorem

locum obtineat simulque gravis sit.' sed patet ne hoc quidem Latine dictum esse neque quisquam intelleget nisi qui ex eis quae et secuntur et antecedunt sententiam divinaverit. excidit enim ni egregie fallor inter gravis et in particula si, quod vix dici potest quam facile accidere potuerit. sed praeter hoc aliud latet mendum. quid enim est 'disyllaba'? scribendum est: disyllabo. nam aut disyllabus ut adiectivum adhibendum est aut certe disyllabum substantiae dicendum. cf. Marc. p. 447 § 521, Quintil. I, 5, 31 et Nonii Lucilium:

'Dicere tute vide atque disyllabon elige quodvis'.

p. 285 § 270: 'Cum vero mediae longae, vel acutae vel inflexae; acutae cum longae ultimae, ut tenebrae latebrae manipli.'

Haec cum nemo intellegeret Grotius sic emendavit: 'Et acutae tum cum longae ultimae ut tenebrae ut latebrae manipli'. ante Grotium enim pro et quod ipse posuit legebatur aut. patet nos nihil fere hac mutatione lucrari: hoc enim necessesse est requiramus ut cum verbis 'acutae cum longae ultimae' significata sit mediae syllabae condicio si ultima syllaba longa est, nunc addatur qualis sit si ultima brevis est. tum enim media ut cum Marciano loquar inflexa erit. hoc autem et dicendum fuisse et re vera ab auctore dictum esse adparet ex prioris sententiae partis conformatione. ubi cum dicatur 'vel acutae vel inflexae', in eis quae secuntur de ea condicione necessario expositum erat quae syllaba erat inflexa. persuasi mihi ita fere primitus scriptum fuisse:

'Cum vero mediae longae, vel acutae vel inflexae sunt; acutae cum longae ultimae ut tenebrae latebrae, inflexae cum ultimae breves ut maniplus'.

Sunt omissum esse quanquam veri admodum dissimile est tamen omitti a scriptore potuisse praefracte non negaverim; 'maniplus' autem cur in manipli corruptum sit eo declaratur quod cum iam ea quae supplevimus exciderint librarius uno tenore exempla plurali numero efferenda sibi esse putavit. ceterum illud obici mihi non potest ineptum esse quod ad duo ista exemplis demonstranda eis Marcianus usus sit exemplis quae eiusdem prorsus generis sunt; nam in eis quae secuntur 'maniplos' prorsus a duabus illis vocalis segregat.

(Continuabuntur.)

F r. E y s s e n h a r d t.